

Fr. 112. 30

V. Zc  
1333

X 2054990

# RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS

Ad

Honorem ultimum

Matronæ Clarissimæ ac pientissimæ

VIRI

Nobilissimi, Amplissimiq̃

## DN. CONRADI KLEINHEMPELII,

Hæreditarii in Meusdorff & Breitsch/

Sereniss. Elector. Saxon. quondam à Redituum  
Confiliis & rei lignariæ Inspectione


RELICTÆ VIDUÆ,

post horam I. luculenter & promtè  
habendum

### PROCERES CIVESq̃ ACADEMICOS

invitat.





## Væ die Augusti undecimo

mortalitatem extra Lipsiam expleverat Ma-  
trona Clarissima juxta atque pientissima HE-  
LENA KLEINHEMPELIA, die mensis ejus-  
dem quinto ac decimo, Conditorio Lipsiensi,  
quod sibi suæque Uxori in Templo nostro para-  
verat Maritus nobilissimus, fuit illata. Vacan-

dum nunc sacrificio pro defuncta, & quod jure quodam exposcere sibi  
videtur, honores ei ultimi solenniter sunt exhibendi. Sacrificium au-  
tem intellectum volumus non Papanum, quod delere ac diluere pec-  
cata falso creditur, sed quale in prima Ecclesia oblatum pro mortuis  
fuisse accepimus. In hoc autem nihil quicquam agebatur, ut DEO  
fieret satis pro mortuo; quin illius tantum celebrabatur memoria, &  
donaria pariter ad conservanda Ecclesiae ministeria, & sustentandos  
pauperes non illiberaliter offerebantur. Liqvet certè ex locis Cypria-  
ni non unis, sacrificia & oblationes veteris Ecclesiae pro mortuis fieri  
consuetas non fuisse hostias, quibus pro peccatis ipsorum satisfaceret, & DEUS eis pla-  
cetur, sed fuisse gratiarum actiones, & publica laudis ac honorificationis testimonia; mu-  
nera etiam DEO cum gratiarum actione oblata, quod Ecclesiam suam ornaret tam præ-  
claris pietatis & constantiae exemplis, non esse collata, ut essent satisfactiones pro peccatis,  
sed gratitudinis significationes, quibus conservarentur Ecclesiastica ministeria, & juva-  
rentur indigentes; prout hæc omnia planissimis exposuit verbis in tracta-  
tu hac de re sincerissimus Theologus D. Johannes Æpinus. Neque e-  
nim illud PRO MORTUIS peccatorum designat expiationem, sed  
laudem potius ac celebrationem, teste Patrum augustissimo in lib. XXII  
de C. D. c. X. sic pronunciante: *Nos martyribus nostris non æmpla sicut Divis, sed  
memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud DEUM vivit Spiritus, fabricamus; nec  
ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni DEO & martyrum &  
nostro. Sacrificium immolamus, ad quod sacrificium sicut homines DEI, qui mundum in e-  
jus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote qui sa-  
crificat invocantur, DEO quippe non ipsis sacrificat, quæ amvis in memoria sacrificet eorum.*  
More itaque veteri sacrificabimus pro KLEINHEMPELIA; memo-  
riam inquam ipsius tanquam feminae optimæ atque emendatissimæ ce-  
lebrabimus, & munuscula pariter ad conservandam Ecclesiam ac sub-  
levandos pauperes offeremus. Nata igitur est anno ær. Chr. M. DC.  
III. d. XI. Octob. in Electorali Saxonica arce Kalckhart, Patremque ha-  
buit ornatissimum atque dexterrimum LUCAM JOHNIUM Electora-  
lis villæ in loco jam dicto præfectum, eumque ex viro forti ac strenuo  
CHRISTOPHORO JOHNIO, Martis Svecici quondam Capitaneo  
progna-

Prognatum; matrem non ignobilem CATHARINAM ab Eckersberg;  
ex HELENA Viri nobilissimi atque spectatissimi JOHANNIS HEIN-  
RICI rei Venatoriæ in regno Danico magistri provincialis filia oriun-  
dam. In sinu horum cum adolevisset, pietati, reliquisque virtutibus,  
quæ sexum istum addecorant, maturè se assefecit. Sed undecennis vix  
facta Orphanorum auxit numerum; cumque non essent e consanguini-  
neis, ad quos tanquam ad asylum quoddam confugere potuisset, Dea  
velut ex machina ipsi apparuit Illustrissima Comitissa Hohenloënsis.  
Ab hac enim clementer suscepta, in Gynecæo hujus per tres annos ad-  
modum educata, hæc auspice & ad gubernante virtutibus pluribus, qui-  
bus postea excelluit tantopere, imbuta est. Fuit equidem & hæc con-  
ditio, ut pleraque humana omnia, calamitatibus ac molestiis non pau-  
cis obnoxia; exantlavit tamen has omnes constanti animo, sequere  
aromatis pretiosis non absimilem esse ostendit, quæ, quo magis tun-  
duntur ac conteruntur, hoc fortiolem de sese odorem spirant. Nec  
præmiis destitui tot eximias Virtutes, eventus mox pulchrè docuit.  
A Comitissa enim, quam diximus, propitia enixè commendata est  
Serenissimæ Principi MAGDALENÆ SIBYLLÆ, Marchio-  
nissæ Brandenburgensi ac Potentissimi quondam Electoris Saxo-  
niæ JOHANNIS GEORGII I. nunc gloriosissimæ recorda-  
tionis, Conjugi alteri, hujusdemque Cubicularia Virgo ex voto nec  
sine providentia divina est reddita. Cui cum fidem industriamque  
incredibilem per duodecennium integrum approbasset, legitimis ab  
Eadem nuptiis juncta & in matrimonium tradita est, Viro nobili  
atque amplissimo Dn. CONRADO KLEINHEMPELIO, Sere-  
niss. Electoris tum temporis Cubiculario A. XXXV. quocum ama-  
bile quidem & dissidiorum expers, ac sterile propemodum congu-  
gium, (si filium unicum CONRADUM excipias, qui turbato naturæ or-  
dine parentes vix natus ac renatus antecessit,) in annum usque vigesi-  
mum & septimum protraxit. Cæterum uti non temerè connubium  
invenias quodpiam, cui non absynthii ac fellis quid admixtum fiet: i-  
ta hoc quoque tristes subinde expertum est vicissitudines, ex eo po-  
tissimum tempore, quo occupata hæc Lipsia abs milite Arctoo fuerat.  
Nam uti Maritus ne pilum quidem à fide Electori Clementissimo data  
deflecti se patiebatur, & hanc urbem prius, quam partes sibi delegatas  
deserebat, ita rapinis ac direptionibus hostium mirum quantum in  
prædio Greitsch, quo secesserat, atterebatur. Serenior equidem afful-  
gebat post has tempestates aura; marito tamen suo dulcissimo A.  
LXXII. d. X. Feb. orbata dici vix potest, quantum invidiæ atque adver-  
sitate subire in tot annorum viduitate habuerit necesse. Nihil au-  
tem animum illius dejecit conturbavitque magis, quam concordissi-  
mi Consortis obitus. Quò arctior enim atque adstrictior eorum erat an-  
te hæc consuetudo, hoc acerbior postmodum & calamitosior erat di-  
stractio. Illa verò & hoc & reliqua identidem obnascencia mala patienti  
& plusquam muliebri animo superavit. Ex quo enim in prædio  
Meusdorff victitavit (victitavit autem per annos XVII.) pietate in-  
fatigabili DEUM coluit, in primisque id dedit operam, ut seriâ pœni-  
tentiâ peccatis animam exolveret, & quod tum aliàs sæpissimè, tum  
tribus

Zc 1333. FK.

tribus ante extrema septimanis factum, sacrâ Evcharistiâ ad disces-  
sum è corpore præpararet. Vexabatur namq; præter molestissimas rei  
familiaris curas, aliasqve adversitates deliquis non rarò, deqve sine  
adeò vitæ approximante non obscure præmonebatur. Et verò evenit,  
ut posteaquam LXXIV. & IX. menses cum III. septimanis & biduo  
vivendo in his terris explevisset, subitanam quidem & inopinam, at  
placidam tamen ac perbeatam d. XI. Augusti mortem obierit. Deductæ  
igitur mox Exuvia sunt Lipsiam, & lateri dilectissimi quondam  
Conjugis in Quietorio Paulino associatæ. Restat autem sacrificium  
pro mortua. Peragenda enim adhuc solennia exequialia, Concio  
item funebris cum vitæ curriculo exaudienda, & munuscula pariter  
ad usus, quos supra inuimus, offerenda; ad quod sacrificii genus &  
Cives Academicos ordinum omnium honoratissimos perquam ho-  
noricè atqve humaniter invitatos his ipsis cupimus, P.P. Lipsiæ d.  
XXV, Septemb, Anno Ær. Chr. M. DC. LXXVIII.

Literis JOH. GEORGI.



WAT

MC

Fr. 112. 30

V. Zc  
1333

# RECTOR

## ACADEMIAE L

Ad

Honorem ultir

### Matronae Clarissimae

### VIR

Nobilissimi, Am

# DN. CON KLEINHE

Haereditarii in Meus

Sereniss. Elector. Saxon. q

Confilii & rei lignaria

### RELICTAE V

post horam I. lucule  
habendum

## PROCERES CIVESq

invitat.



S  
X 2054990

I

um

